

peditur per partes, imo momento est, uel non est. Si consideratur quo ad accidentia extrinseca, uel virtutes, & tunc potest dici habere partes. substantialiter. n. matrimonium capit principium & finem a consensu. & sic cum consensus simul momento expediatur, momento etiam perficitur. ante, n. q. fit consensus mutuus, non est matrimonium, & statim cum est consensus mutuus, est matrimonium, sed quo ad alias partes extrinsecas, & virtutes constitutiuas potest esse in tempore, & non esse in parte, nos possumus matrimonium spirituale & carnale considerare respectu praeambulorum necessitatum ad finem matrimonii, & hoc respectu potest dici initiatum, non vinculum substantiale, sed aliquid subordiatum in fine faciendi, uel producendi vinculum. potest exemplificari in elect. & electionis publicatione. quia statim perfectum est praeambulum per respectum ad eligentes necessitas vinculum. sic potest dici in carnali vinculo sponsaliorum, ut patet de sp. per totum. sic ergo post illud sequitur pars, quae facit matrimonium. s. consensus pure electi. & sicut in matrimonio carnali secuto consensu utriusque, est perfectum, ita in isto perficitur, & sic potest dici pars media in respectu ad principium extrinsecum praeambuli, & medium necessitatis, licet in respectu ad medium matrimonium nec media sit, nec pars, nec ultima, sed ista non est diuisa. Si tertio considerantur virtutes constitutiuas ad vinculum, sequuntur aliae partes, quae si in matrimonio carnali sequitur copula, ratificatur matrimonium, non quod aliquid addat substantia ad vinculum, quasi illud intensiua extendatur in substantia, sed solum additur quaedam qualitas & virtus extrinseca a substantia vinculi, per quod vinculum magis roboratur quo ad difficultatem dissoluendi, quia ubi poterat aliquo casu dissolui, ut in c. ex publico. de conuer. coniu. altero ex duobus ingredientibus religionem, modo sic non poterit, & in hac copula ratificatur, & confirmatur vinculum, & sicut in carnali ratificatio & consummatio datur eod. momento sic in spirituali quo ad virtutem roboratiua vinculi, quo ad difficultatem dissoluendi datur post consensum per confirmationem, quia ex tunc vinculum est ab ecclesia ratum, & efficitur pro tunc indissolubile autoritate inferioris papae. non ergo poterit dissolui voluntate electi secundum veram op. de qua. sup. e. c. inter corporalia, & no. de elect. c. si elect. li. vi. consummatio autem quo ad virtutem partus filiorum est in consecratione, quia consecratus potest alias spirituales filios facere ordinando quod ante non poterat, & sic ibi datur consummatio. In hoc ergo videtur differre carnale a spirituali, quia ratificatio carnalis est simul cum consummatione, s. copula, sed in spirituali diuerso actu concluditur. & causa huius est, quia vniuersalis ecclesiae in matrimonio non exigitur extrinseca & expressa probatio, sufficit ecclesiam non contradicere, & non habere causam contradicendi. secus autem est in spirituali, quia oportet, quod persona examinetur, & specialiter approbetur, quod fit in actu confirmationis & pro tanto datur actus de per se ad consummationem, & haec est veritas. de copula autem addat ad matrimonium, dicit quod nihil addit, & de hoc habetur, xi. q. 3. ca. quod praedecessor. & sic videmus vnum signum legale in indiuiduis. nam seruitus non potest per partes transferri, & tamen ante eam possent dari partes ordinatae in fine eam inducendi. ff. de ser. rust. praed. l. per fundum. & patet ex no. in l. est receptum. ff. com. praed. & haec sufficiant de i. par. In ii. par. ut facti recitatu nihil dicit. Venio ad tertiam, & hic aduerte. & hic facit tria. primo recitat indulgentiam, secundo ipsam ostendit non proficere etiam supposito vno intellectu hic falso. tertio idem facit in supposito vero. Ad primam. i. illa ponitur solus tenor, nec ei aliquid obuiat. Ad secundam dicit, quod licet videatur aliquibus quod possit transire ad maiorem & c. Opp. quod hoc non possit nec debeat videri, quia si gratia est conditionalis, non videtur quod hoc possit in indulgentia operari, donec fuerit ex inquisitione purificata. Glo. fatetur & dicit, quod papa hic ex superabundanti respondet, & praesupponendo intellectum falsum, nulli debet videri quod etiam virtute illius indulgentiae transire possit, nisi prius sit purificata, purificata autem indulgentia istis bene poterit videri, quod transire possit ad maiorem, & sic intelligitur hic. Ad secundam obuiat. dicit hic quod si indulgentia conceditur, ut ad maiorem possit transire, non poterit transire ad parē per hoc, & submittit, quia facilius dispensatur in maiori, quod in minoribus. Contra. imo facilius in minori, quam in maiori dispensatur. 56. di. c. Cenomanensem, de filiis presby. c.

i. lib. 6. vt no. sup. de elect. c. scriptum. ubi per glo. Sol. quandoque datur impedimentum respectu defectus personae, vt propter accide ns criminis, uel aliud, & facilius in minori dispensatur, quam in maiori, quia in maiori requiritur maior habilitas personae, quam in minori, & ideo tunc approbat, quis facilius ad minorem, quam ad maiorem. Quandoque subest impedimentum vinculi & alligationis alteri vinculo supposita habilitate personae ad vtrunque, & tunc in dissolendo vinculo propter transitum facilius conceditur in maiori, vt ascendat, quam ad parē, ut non ascendat, sed gradualiter in pari gradu ambulet, quia in primo potest dari causa, in secundo non, cum tanta sit vtilitas, quae vtilitas in casu, isto tanta reperitur in vno, quanta in alio, sed maior potest esse vtilitas in maiori, & tales dispensationes exigunt causam, & sic loquitur hic, ad hoc. sup. de postu. praela. c. bonae. 8. ii. & sup. c. prox. Tertio videtur, quod ex quo concessum est quod transeat ad maiorem, concessum videtur quod possit transire, ad parē, quia concessis maioribus concessa videntur minora. xvii. q. ii. c. visis. & de do. c. pastoralis. Gl. quae incipit Sed nonne concessio: responderet quod concessis maioribus videtur concessa minora, sed dum dicitur concedere transitum ad maius beneficium, est maius, quam concedere transitum, ad minus, hoc est falsum, quando concessio fit propter vinculum, quia tales concessiones implentur ex causa & c. & sine causa fieri non possunt. Ad propositum ergo leuius est concedere, quod transeat ad maius, quia subest aliqua vtilitas, quam ad parē, vel minorem ecclesiam, quia ibi deficit vtilitas, & primum conceditur a iure, secundum autem non permittitur, ita, quod illud quod est maius permissum a iure, est leuius concessibile, quam id quod est minus prohibitum a iure, sic loquitur haec materia. unde aliquando aliquid est maius, quod est leuius. videtur etiam aliquid esse leuius, quod maius videtur, ad hoc quod no. i. d. ca. pastoralis, ad hoc de ele. in c. nemo deinceps. lib. vii. ut eccle. bene. c. vno. & quod no. in cle. vna. de reb. eccl. non ali. de ele. c. si religiosus. li. v. coniuncta decre. ne cle. vel mo. in c. ii. eo. lib. ad hoc cle. de hare. nolentes. in prin. & no. de ele. c. ne Romani. Si iritum in i. gl. Ad tertium hic oppo. cum glo. quae est super verbi postulatio. & videtur quod per hanc indulgentiam potuerit transire absque alia licentia. Primo quia verba indulgentiae latissime interpretantur, & sic quod aliquid operetur, de verbo. sig. c. Abbate. hic nihil operantur, ergo & c. nam hoc de iure communi facere potuisset a papa licentia petita, sed si non habebit expectare licentiam papae, non addet priuilegium aliquid ad ius, quod est contra naturam priuilegii, quia priuilegium est priuans legem. iii. dist. c. priuilegia. & ff. ad mun. l. i. ff. de leg. i. l. si quando. Gl. ad primum quod dicitur indulgentias latissime interpretandas, respondet primo, quod hoc est verum quantum patitur natura verborum indulgentiae, vltra non, quia non tantum est trahenda latissime quod rumpatur, hic autem papa sublimauit concessionem dum tamen nihil obuiet, propter quod, cum sit dubium, seruauit sibi examinationem contra verba, ergo non ampliatur, vt transeat sine examinatione, ad hoc de priui. c. si de terra. & patet de consue. c. cum dilectus. Vel secundo quodam sunt indulgentiae, quae sunt beneficia quae non exorbitant a iure communi, & talia latissime interpretantur, quod exorbitantia a iure, & talia non intelliguntur latissime, & de his loquitur hic. nam si ampliaretur, hic derogaretur iuribus, per quae consueta examinatio postulationum, & electionum subuerteretur, & hoc, quia tales indulgentiae eo quod a iure exorbitant, praesumuntur ambitiose obtentae. i. q. i. ca. principatus. Ad secundum quod priuilegium debet aliquid operari, & intelligi vt addat, respondendum quod hoc operatur. nam duo erant impedimenta in transitu. Primum quia alligatus primo vinculo, per quod inhabilitabatur ne posset transire, nec etiam poterat consentire. Aliud erat impedimentum

## ADDITIONES.

- a ¶ Minorem ecclesiam. Vide tex. in l. relegatorum. in fi. ff. de interdi. & releg. & no. per Fel. in materia dispensationis, in c. postulasti, sup. de referri. & in c. cum in cunctis, sup. de ele. Seb. Sap.
- b ¶ Quod priuilegium. Adde quod nihil operatur contra ius commune, vt not. Ge. in c. si papa, de priui. in 6. Ale. in consi. 33. incip. viso. in 1. uolu. Limita est vt non procedat, quando confirmaretur antiquum priuilegium, secundum Ge. in c. gratiose, in 1. colum. de referri. vide Fel. in c. solite, colum. 3. de ma. & obe.